



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Votorum omiſſio quandoque vitiosa est, quandoque non.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

356 Votorum imped.

ut si patet si religiosus voueat dicere quotidie psalmos poenitentiales. Tenetur enim illos dicere quousque superior sciat & reprobet obligationem votiuam, quam debet reprobare, utpote Prælaso præiudicialem.

Et scito quòd hæc quæ de votis subditorum dicuntur, intelligenda sunt quantum ad illa in quibus sunt subditi: ita quòd si aliqua sunt in quibus nõ sunt subditi de illis possunt vota facere absolutè valida: ut si Episcopus voueat dicere septem psalmos, aut dare eleemosynam: quoniam in his non habet manus ligatas. Et similiter si vxor voueat non petere debitum coniugale: quoniam in hoc non est subdita, sed par marito. Et sic de aliis similibus. Habes igitur hinc unde discernas peccata transgressionis votorum in illis qui sub alterius sunt potestate constituti: ut sunt pueri, puellæ, vxores, serui, ac religiosi: & vniuersaliter illi qui vouent de alieno, hoc est de eo quod sine alterius licentiã licitè dari aut fieri nequit: ut si filius familiã voueat dare eleemosynam, quum nihil habeat ni patris. Et sic de similibus. De religiosorum votis speculatiuè vide commentaria in secunda Secundæ.

Votorum omisio quandoque vitiosa est, quandoque non.

EX parte deinde impedimentorum occurrentium, discernere oportet quandoq; votorum omisio- nem quando est peccatum, & quando non. Sunt autem occurrentia impedimenta votorum duplicia. Nam quædam se tenent ex parte materiæ votiue, quædam ex parte intentionis personæ vouentis. Et ex materiæ quidem parte, impedimentum executioni voti præstat quicquid impediret votum quando fit: scilicet si materia voti facta est impossibilis, aut illicita, aut

Votorum imped. 557

ta, aut impeditiua melioris boni, aut indifferens, nam quodlibet horum impedisset votum ne fieret: nullus enim potest vouere aliquid impossibile, aut illicitum, aut impeditiuum melioris boni, aut indifferens, ut patet ex antè dictis.

Et ut rudiores intelligant, ponamus exempla. Vouit rex ædificare, dotare, ornareque monasteriū: eiicitur postea à regno, & fit ei impossibilis huiusmodi eleēmosyna. Vouit alter ieiunare singulis sextis feriis, perdit sanitatem, ita quod abstinere est ei illicitum. Si quis etiam post votum Hierosolymitanū vult ingredi religionem, adimplere votum esset impedimentum melioris boni: & propterea potest ingredi religionem non curando de priori voto. Si quis demum vouisset, non transire per aliquem vicum, quia ibi manet mulier attractiua, &c. mortua muliere illa transire per illum vicum, factum est indifferens: & ideo non amplius ligat. Aduerte tamen hic circa casum superuenientis impossibilitatis seu iniquitatis, si impossibilitas superuenit toti materiæ promissæ, aut parti: quoniam si impossibilitas venit super totū, nō tenetur ad votum durante impossibilitate, sed si venit super partem, tenetur etiā tunc ad reliquā partem tunc sibi possibilem, seu licitam. Et propterea persona habens votum castitatis, & postea coniugata, eōsummato matrimonio non tenetur viuente coniuge ad castitatem totam: quia tenetur reddere debitū cōugi: sed tenetur seruare partem sibi possibilem & licitam, scilicet nō petere debitū. Et tenetur habere voluntatem implendī totaliter votum, quādo erit sibi possibile, seu licitum, scilicet mortuo coniuge. Ex parte autem intentionis vouentis quando certa est, vota possunt quacunque impedimenta recipere: quoniam intentio vouētis sufficit ad quācunque conditionem apponendam voto. Et propterea nullum votum obligat ultra, seu extra

M. m. 2

lim: es

558 *Voti dispensat.*

limites intentionis personæ vouentis, hoc est quia præcisè ad illud tantum obligat, ad quod vouens intendit se obligare, & non ad illud. Sed quâdo vouentis intentio nihil apposuit limitationis, sed votum fecit simpliciter oportet casus occurrentes secundum sacros canones & veritatis doctrinam piè interpretari. Vnde qui vouit triduo ieiunare, aut aliquam elemosynam dare absque præfixo tempore, tenetur adimplere illo tempore quo ipsum nō remordeat conscientia quòd fuerit in mora: quoniam quam diu ei videtur quòd nō sit in mora, interpretandū est quòd non sit elapsum tempus intentum ab ipso vouente. Hinc enim intentio vouentis discerni potest.

Caue autem ne fallaris, putans in variis casibus & euentibus occurrentibus votum non ligare: quia persona quando vouit, si hæc præuidisset, non fecisset votum. Falsa est hæc imaginatio & destructiua omnium humanorum cōtractuum. Multi nanque coniugati non obligarentur ad coniugium: quia si præuidissent quæ euenerunt, non contraxissent tale matrimonium. Et similiter multi professi non tenerentur ad religionem: quia si tunc quæ post occurrent, cogitassent, non fecissent professionis votum. Et sic de aliis. Caue ergo ne fallaris: sed de efficacia intentionis vouentis sentit, vt antè dictum est.

Voti dispensatio seu irritatio cui competat.

EX parte demum dispensationis, commutationis, irritationisquæ, vota quandoque oportet confessorum iudicare.

Vbi scito quòd quia irritare votum, pertinet non ad Ecclesiasticam auctoritatem vniuersaliter, sed directè spectat ad potestatem dominatiuam seu quasi dominatiuam rei votiæ, ideo ad irritandum votum subditi, sola potestas dominatiua cum voluntate irritandi